MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81172-25

AUTHOR:

MOHR, WILHELM

TITLE:

OBSERVATIONES SOPHOCLIAE

PLACE:

BONNAE

DATE:

[1863]

Master Negative #

93-81172-25

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Mohr, Wilhelm, 1838-
Observationes Sophocliae. Dissertatio philologica quam...publice defendet scriptor Guilelmus Mohr... Bonnae, formis Carthausianis, [1863]
34 p. 21 cm.


Thesis, Bonn, 1863.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-18-93 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT










AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

OBSERVATIONES SOPHOCLIAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA
RHENANA
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT
ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE I. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXIII
PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

GUILELMUS MÖHR
RHENANUS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
IAC. SCHRAMMEN, DR. PHIL.
IOS. KAMP, SEM. PHIL. SOD. ORD.
HUGO WACHENDORF, SEM. PHIL. SOD. ORD.

BONNAE
FORMIS CARTHAUSIANIS.

PATRI CARISSIMO

ET

FAUTORI SUO BENEVOLENTISSIMO

IOANNI FREUDENBERG

DOCT. PHIL.

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Tragoediarum Sophocliarum memoriae quae sit fides, quae ratio a Dindorfio nuper plene docti sumus docerique nos tamdiu patiemur, quamdiu, quae ille doctissime ac sagacissime disputavit non erunt novis criticorum curis refutata. Itaque, confecta interim negoti critici parte ea, quae in excuendis libris manu scriptis versatur, strata quasi via quaedam est, qua pro suo quisque ingenio ad exoptatum finem contendat; restat enim, ut quae illinc eruta sunt, prudenter in usus nostros convertantur. Qua in re quantum ingeni acumine omnique genere doctrinae a summis viris elaboratum sit, nemo ignorat, multa tamen relicta esse, quae novis semper et assiduis curis vel emendari corrupta vel confirmari dubia et possint et debeant, innumerorum locorum docet nondum persanata corruptela. Itaque, dum dilectissimo poetae operam nostram qualemcunque navare placet, unam aliquam operae rationem potissimum sequendam esse duximus, quae ut saepe praemonstrata a viris doctis, ita nondum adeo exculta atque in omnes partes perfecta esset, nihil ut vel perfici coeptum vel novum reperiri posset. Nam cum ab interpretibus nonnunquam in eo peccatum esse intellegerem, quod quae a Sophocle, audaci verborum novatore, saepe novo aliquo atque inusitato modo dicta sunt, vel falso interpretarentur vel immerito in suspitionem vocarent, cum cur talia ita dici possent, idoneis demonstrare exemplis neglegerent, hoce imprimis agendum curavimus, ut sicubi opus videbatur, exemplis ex ipso poeta, quotquot idonea videbantur, allatis, demonstraremus, quae esset talium locutionem origo, quae lex, quoque modo a poeta factum esset, ut a parvis saepe ac satis claris perspicuisque initiis progrederetur ad audaciores ora-

tionis formationes, quae nullo alio modo intellegi recteque iudicari possunt. Ex his igitur, cum tempus et moneret, aliquid proferendum esse, quo nobis aditum ad summos in philosophia honores muniremus, nec tamen idem suppeteret ad gravius aliquod opus elaborandum, deprompsimus quaedam, quae in formam huic generi libellorum legitimam redacta, ut benevolo accipiantur iudicio, quam maxime optamus.

Versibus Trachin. 831 sq.[1]) dubito, an nullam peiorem crucem invenerint Sophoclis interpretes, de quibus quid sentiamus, ita proponere nobis liceat, ut omissa infelicium interpretandi conatuum farragine, quid nobis ipsis verum ac rectum videatur, afferamus, ea tantum laudantes, quae vel ob ceterorum consensum, vel suam probabilitatem aliquam commendationem habere videantur. Ibi igitur haece chorus:

εἰ γάρ σφε Κενταύρου φονίᾳ νεφέλᾳ
χρίει δολοποιὸς ἀνάγκα,

quae verba, per se satis obscura, ita recte intellegi putamus, si conferuntur, quae vers. 794 sqq. dicta sunt: *τότ᾽ ἐκ προσέδρου λιγνύος διάστροφον ὀφθαλμὸν ἄρας εἶδέ μ᾽ ἐν πολλῷ στρατῷ δακρυρροοῦντα*, qui locus qua ratione ad illum pertineat ut intellegatur, monendum est de artificio quodam dicendi, Sophocli admodum adamato, e quo saepe pro eo, quod quisque exspectet vocabulo, — nam pro *vulgari* non dixerim, alia enim est huius generis ratio, — alterum saepe aliquod usurpavit, cognatae quidem, sed paullo diversae notionis. Cuius rei quae sit ratio, maxime insignibus exemplis allatis docebimus. Ac primum quidem, ut maxime vulgata omittamus, non raro a Sophocle factum est, ut pro generalis notionis vocabulo alterum poneret, angustioris significationis, vel contra, velut Oed. Col. 891,

ὦ φίλτατ᾽, ἔγνων γὰρ τὸ προσφώνημά σου,

ubi facile intelleges, generalem vocem *φώνη* concessisse specialis notionis vocabulo *προσφώνημα*[2]), recte quidem, siquidem

1) Ed Dindorfii III, cuius numeris constanter utemur.

2) Sic Phil. 43 *νόστον* pro *ὁδὸν* dictum esse mon. Herm. laudans Eurip. Iph. A. 961, Rhes. 427 Hel. 841, 897. — Eodem referendum Oed. Col. 467.

alloquentis se Thesei vocem Oedipus cognoverat. Quamquam cavendum est, ne talem aliquam caussam ubique quaeramus, cum alia quaedam norma sit, ad quam revocari de hisce iudicium debeat. — Neque vero desunt exempla, quibus contra factum est, velut Oed. Col. 544, *δευτέραν ἔπαισας ἐπὶ νόσῳ νόσον*, ubi facile intelleges, *νόσον* dictum esse pro *πληγήν*. —

Sed ab hisce satis exiguis ac tritis principiis exorsus, Sophocles ad maiorem dicendi libertatem progressus est ac, dum nihil, nisi notionum propinquitatem ac similitudinem quandam spectat, diversissima ratione verba verbis commutavit. De quibus quae dicturi sumus, iis ita nos maxime idoneum fundamentum substructuros putamus, si monuerimus de commutatione frequentissima vocabulorum *verus* ac *iustus*, velut Ai. 547,

εἴπερ δικαίως ἔστ' ἐμὸς τὰ πατρόθεν, [1])

quocum conferri potest, quod contraria ratione ***verum*** pro ***iusto*** dictum est Hor. Epp. I, 12, 23, quem eundem Epp. I, 12, 23 ***vigil*** pro ***insommis*** dixisse patet, quae quomodo inter se differant, optime colligas e Tac. Ann. I, 65. —

Alia quaedam ratio est El. 644, *ἃ γὰρ προσεῖδον νυκτὶ τῇδε φάσματα δισσῶν ὀνείρων*, ubi translatam notionem vocis *διπλοῦς*, *ἀμφίβολος*, synonymum eis *δισσός* induisse monent interpretes [2]), laudantes Hor. Od. I. 6, 7, Lucian. Al. c. 10. — Sed quanta sit in hoc genere poetae audacia, haud scio an optime intellegas ex iis locis, ubi *χλωρός* talium adiectivorum vice fungitur, quae primo obtutu ab eius notione valde discrepare videntur, quod cum Trach. 1055, *ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμά μου πέπωκεν ἤδη*, ***vivi*** habeat a ***virendo*** deductam notionem, eiusdem fabulae v. 847, *ἦ που ἀδινῶν χλωρὰν τέγγει*

1) Eodem modo dictum Trachin. 409. ubi minime probamus Dindorfii interpretationem.

2) cf. Oed Col. 97 *πτερόν* metaphorica significatione *οἰωνός* vocis, ***augurium***, dictum, item Trach. 693, *φάτις* pro *λόγος*, ***rem*** significante, Ai. 1077 *σῶμα γεννᾶν* pro *φύειν*.

δακρύων ἄχναν, nil, nisi ubertatis ac copiae notionem retinuit, ita ut pro *περιττόν* dictum esse, recte moneant interpretes. Neque vero minori audacia vocabula inter se commutata esse cernes in hisce: Oed. Col. 325 sq.

ὡς ὑμᾶς μόλις
εὑροῦσα δεύτερον μόλις βλέπω.

pro quo exspectes *αὖθις*, et Trach. 957,

μὴ θάνοιμι — εἰςιδοῦσ' ἄφαρ,

quod pro *εὐθύς* dictum esse Wunderus monuit. — His igitur, quae ab omnibus agnoscuntur, expositis, confidenter dixerim, verba dare, qui Oed. Col. 612, *καὶ πνεῦμα ταὐτὸν οὔποτ' οὔτ' ἐν ἀνδράσιν φίλοις βέβηκεν οὔτε πρὸς πόλιν πόλει*, vocem *πνεῦμα* talibus, qualia sunt *Ἄρη πνέων*, *φόνον πνεῖν* explicare conantur, — crederem, si forte *φιλίαν πνεῖν* vel *ἔρωτα πνέων* dictum esset, — sed planum puto, id vocabulum esse pro *ψυχή*, *νοῦς*, positum [1]) — Certe falluntur, qui Oed. Col. 402, *κείνοις ὁ τύμβος δυστυχῶν ὁ σὸς βαρύς*, de sepultura iustis honoribus carente dictum dictitant [2]). Non enim de ***honoribus***, sed de ***possessione*** sepulchri agitur, neque Aesch. Choeph. 913, „apte", ut aiunt, a Neuio allato, ullo modo comprobatur, *δυστυχεῖν* verbi hanc vim esse, ut id, quod in peregrina terra est, significet, quo loco, si argutari velles, hoc potius evinceres, a Sophocle *δυστυχεῖν* de sepultura in Thebanorum finibus esse dictum. Immo, quod fieri posse abunde demonstratum est, id hoc loco factum esse res ipsa clamat, ut *δυστυχεῖν* nil, quam vice fungatur verborum *ἁμαρτάνειν*, *ἀπόλλυσθαι*, ut hic prodeat sensus: Illis sepulchrum tuum, non obtingens, grave est.

In his igitur cum nil, nisi quantulamcunque notionum similitudinem poeta secutus sit, neque mirabimur, quod Oed.

1) cf. de *ψυχή* Ant. 176. — *πνεύματος* vocabuli animae praevalentem prae animi notionem cernes Aesch. Sept. (ed. Ritschel.), contra animi prae animae Suppl. 30. — quibus quidem locis rectius usuri fuissent interpretes ad verba Soph. illustranda.

2) Neuius, Elmsleius, Dindorfius, alii.

Col. 1253 *θρεπτήριον*, 341 *τροφεῖον* pro *τροφήν* dixit[1]), vix aliud quidquam, nisi communem verborum stirpem spectans, et abstinebimus Bonitzii[2]) coniectura sagaciore, ut putamus, quam veriore, cum Ant. 414 pro

εἴ τις τοῦδ' ἀφειδήσοι πόνου

ἀκηδήσοι scribat, poetam potius, quam librarios corrigentis. Neque enim *ἀφειδεῖν* verbum non idoneam excusationem habet, siquidem quae iam allata sunt, ultro hanc sententiam commendant, ut poetae animo *ἀμελεῖν* obversatum esse putemus, et haud scio an praestet, poetae vel mediocriter lapso ignovisse, quam incurrisse neglectae fide memoriae crimen. Idem non ausim affirmare de Oed. Col. 367,

πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν ἔρις Κρέοντί τε θρόνους ἐᾶσθαι, —

ubi ne ea quidem, quae voci *ἔρις* substituuntur, *ἀγών*, *ἅμιλλα*, ita dicta sunt, ut Sophecle digna videantur[3]).

Sed, utut id est, apparet, hoc dicendi artificio Sophoclem satis audacter esse usum neque mediocri lumine orationem suam distinxisse, restat, ut quae iam satis edocti sumus, ad eius, unde exorsi sumus, loci interpretationem adhibeamus. Diximus igitur, ad vers. Trach. 831 versum 794 aliquo modo pertinere, quod antequam exponamus quomodo intellegendum sit, de illis ipsis verbis monendum est. Haeserunt enim interpretes in verbis *ἐκ προσέδρου λιγνύος* omneque tulisse punctum eum miror, qui illis fumum arae significari censuit, cui interpretationi cum alia obstant, tum quod ab ipso poeta lucu-

---

1) Quod contra factum videtur Aesch. Sept. ad Th. 529, coll. 458; similiter Eurip. Orest. 1655 *καλλίστευμα* dixit pro *κάλλος*, plenius sonanti scilicet vocabulo delectatus.

2) Observ. in Soph. fasc. 2. p. 49.

3) Quodsi mutatione opus esse videtur, malim tamen pro *ἔρος* Nitschii scribere *μέλον*, e quo *M* in *N* mutato, deinde ob antecedens *N* omisso, prono errore *ἔρις* fieri potuit: $\frac{E\Delta O N}{E P I \Sigma}$; *M*, *N*, *Σ* crebro inter se commutata. —

lenter dictum est, Herculem nequaquam quietum uno in loco mansisse. Ne multi simus, non putamus, poetam neglexisse Euripidium illud: *τί τἀκτὸς τῶν κακῶν με δεῖ λέγειν;*[1]) neque rem tam levem addidisse, sed illam *λιγνύν* ad mala, quibus ille tum vexabatur, rettulisse, ita ut vaporem diceret, e carnibus viri, viro Centaurico absumptis, orientem. Talia enim sine vaporibus fieri non potuisse, ut nobis, sic Sophocli notum fuisse puto. Itaque nil attinet quaerere, utrum de suo, an aliunde acceptam hanc vaporis mentionem, ad augendum imaginis terrorem accommodatissimam, adiecerit poeta, hoc tamen videmus, neque in ipsa fabula reperiri quidquam, quod cum hac explicatione pugnet, et indidem nos egregium, ne dicam unicum, nancisci praesidium ad interpretandum vers. 831. Ibi enim cum chorus, ut fere fit, ad ea respiciat, quae dicta sunt, in promptu est, verba *φονίᾳ νεφέλᾳ* e genere dicendi illo, de quo satis dixisse videmur, ad illam *πρόσεδρον λιγνύν* spectare verbumque *χρίειν*, quod primo obtutu alienum esse ab hoc loco putaveris, ita accipiendum esse, ut pro eo, quod exspectes, *περιχεῖν* vel simili positum sit notione praegnanti, siquidem vestis illa pungendo hominem vapore mortifero circumdabat. Sensum igitur hunce esse putamus: Quodsi te Centauri inevitabilis dolus excruciat, nubem (seu vaporem) cruentam tibi offundens. — Ad illam vero verbi *χρίειν* praegnantem usum f. Ai. 688, 1096, Oed. Col. 48, Trach. 620 c. ann. Herm. ibid. 653, El. 141.

Versus Oed. Col. 1636, quem interpreti, quod sciam, nemini adhuc offensioni fuisse miror, non dubito, quin aliquid viti contraxerit. Dixerat nuntius, Oedipum ab Atheniensium

---

4) Phoen. 43.

principe petiisse, ut dextera data Antigonae atque Ismenae fidem atque operam suam polliceretur. Iam ita pergit:

ὁ δ'ὡς ἀνὴρ γενναῖος οὐκ οἶκτον μέτα
κατήνεσεν τάδ' ὅρκιος δράσειν ξένῳ,

quo de loco Hermannum recte monuisse dicunt, *οἶκτον* non esse misericordiam, sed lamentationem, allato simili, ut aiunt, exemplo Aesch. Sept. v. 51:

οἶκτος δ'οὔτις ἦν διὰ στόμα,

qui locus tamen hisce ab illo differt, quod et adiectis *διὰ στόμα* vocabuli *οἶκτος* notio accuratius definitur et quod, cum hic magnus virorum animus in eo cerni dicatur, quod de sua ipsorum morte non lamententur, illic Thesei nobilitas ideo praedicatur, quod abstinuerit lamentationibus de morte Oedipi edendis. Nam qui isto modo *οἶκτον μέτα* interpretantur, non possunt hanc Thesei laudem non ad totum illud tempus referre, quo eveniebant portenta illa, quae mortem Oedipi proxime antecesserunt. Quod ponamus recte fieri: hoc tamen nos male habet, quod vel pro *οἶκτος* aliam eamque fortiorem vocem, vel tale aliquod additamentum iure nostro exspectamus, quo docerentur, scilicet non acutissimi illi interpretes, sed auditores Graeci, non misericordiam hoc loco dici, sed lamentationes atque âdeo **turpes** lamentationes. Quid, quod ipse Sophocles Neoptolemum, cuius minime muliebrem animum fingere voluit, haece de se ipso dicentem facit:

ἐμοὶ μὲν οἶκτος δεινὸς ἐμπέπτωκέ τις
τοῦδ' ἀνδρός, (Phil. 965)

qui quod idem sibi vitio vertit hoce:

ἀκούσομαι μὲν ὡς ἔφυν οἴκτου πλέως
πρὸς τοῦδε, (ibid. 1074)

nihil in alteram partem comprobat, siquidem ille in exequendo dolo, quem contra Philoctetam Ulixes machinatus erat, utique omni se misericordia abdicare debebat. Neque vero Theseo caussa ulla fuit, cur in *turpes* lamentationes effunderetur; *οἶκτον* caussam fuisse puto tanti viri exitum filiarumque eius

dolorem. E quibus cum pateat, Sophoclem dicere non potuisse:

ὁδ'ὡς ἀνὴρ γενναῖος οὐκ οἶκτον μέτα,

tum alterum hoc est incommodum, quod qui haec audiret et verba *οὐκ οἶκτον μέτα* ad id referret, quo ea referri consentaneum est, ad eam dico sententiam, quacum arctissime coniuncta sunt, non potuit ea aliter intellegere, nisi Theseum, utpote nobilis altique animi hominem, non lamentatum esse, quod puellis fides promittenda esset. At, ut hoc ineptum est, ita certum est, non recte divelli, quae eiusdem sententiae vinculo sint coniuncta, ac pro *οἴκτου μέτα* aliquid a Sophocle scriptum fuisse, quod ad verba *κατήνεσεν δράσειν* recte referri posset. Nobilem vero virum quid decet facere, cum quis opis egens fidem eius imploret? Nempe ut illum non patiatur multa verba facere, neque cunctanter, sed statim, quod promitti par est, polliceatur. Itaque non dubitamus, quin locus hoc mode restituendus sit:

ὁ δ' ὡς ἀνὴρ γενναῖος οὐκ ὄκνου μέτα
κατήνεσεν τάδ' ὅρκιος δράσειν ξένῳ,

coll. de voce *ὄκνος* Phil. 887. El. 321. Ant. 243.

Vers. Oed. Col. 1435 sq. in L. hunc in modum scripti exstant:

τάδ' εἰ τελεῖτέ μοι
θανόντ' ἐπεὶ οὔ μοι ζῶντί γ'αὖθις ἕξετον,

in quibus pronomen *τάδε* non potest non referri ad id, quod Polynices v. 1410 dixerat:

ἀλλ' ἐν τάφοισι θέσθε κἀν κτερίσμασιν,

ad sepulturae dico honorem, quem e patris vaticinio moriturus, a sororibus sibi praestari cupit. Iam nemo non videt, inepta esse, quae insecuntur:

ἐπεὶ οὔ μοι ζῶντί γ'αὖθις ἕξετον

siquidem nil est, cur se vel vivum vel iterum sepeliri, quis-

quam cupiat. Non enim tantum de laude dictionis Sophocliae detraxerim, Hermanno ut credam, pronomini *τάδε* communem aliquam notionem substituenti, ut significet: „ista, quae petii, amoris documenta“, qualia si significare voluisset poeta, *τοιάδε* atque adeo substantivo aliquo usurus erat. Itaque corruptelam manifestam esse putamus, cui qua ratione videatur esse medendum, age iam reputemus. —

Hac igitur in re primum est, ut quaeramus, vox *θανόντ'* casu dativo, an accusativo elata sit. Hic enim ut requiri videtur antecedente dativo *μοί*, ita suspitionem movet elisa *ι* littera, Qua de re ut recte iudices, duo reputanda sunt: primum, post tot virorum doctorum curas tantum non certum esse, ab elidendo illo *ι* dativi sing. tragicos abstinuisse, [1]) deinde non inusitatam fuisse Sophocli formam dicendi hance, qua voci casu tertio elatae adiungeretur accusativus aliquis adiectivi vel participii [2]). Quae cum ita sint, confidenter dixerim, hoce loco Sophoclem *α* accusativi, non *ι* dativi elidi voluisse, cuius rei hanc hoc loco video esse excusationem, quod post verba *τάδ' εἰ τελεῖτέ μοι* Polynices aliquamdiu voce subsistat, tanquam futura secum reputans, deinde, moerore affectus, gravia illa ac funesta verba addat. Et tamen hoc loco accusativum ferri non posse video, si subsequens ille dativus *ζῶντι* sese recte habet. Neque enim concinna est oratio, collocato inter duos dativos casu quarto, et late patere apud Sophoclem intellego genus dicendi hoce, quam assimilationem vel accommodationem grammatici dicunt. Quam cum aliquot locis agnoscat Hermannus, non erat, cur ad hunc locum pertinere, Reisigio obloquens, negaret. Sed eiusdem cum minus curiosi fuerint interpretes neque de ea, nisi passim, sit monitum, operae pretium erit, quae huc pertineant collegissse, ut et intellegatur, quantum sibi in hoc genere Sophocles indulserit, et de qui-

1) Lob. Ai. p. 350 sqq. Elmsl. ad Eur. Herc. 693. et ad Soph. Oed Col. 1445.

2. El 479 alia ab Herm. allata.

busdam locis vel certius, vel rectius, quam fuit, fiat iudicium. Dico igitur, a Sophocle saepe grata quadam negligentia factum esse, — neque enim huius rei ut certi fines, sic certa quoque lex est, — ut duorum vel vocabulorum vel maiorum sententiae partium, loci propinquitate inter se coniunctorum, alterum ad alterius conformaretur similitudinem imbueretur que tanquam colore quodam non proprio ac suo, sicut in picturis ac rerum natura rem alteram alterius splendore ita collustratam cernimus, ut novo atque alieno colore videatur imbuta. Quod quomodo intellegendum sit, maxime insignibus exemplis docebimus.

Quo certior igitur nostra procedat disputatio, initium faciemus a maxime vulgaribus illis, qualia sunt Phil 1191, *τί ῥέξοντες ἀλλοκότῳ γνώμᾳ τῶν πάρος, ὧν προὔφαινες* [1]), vel Oed. Col. 1227, *βῆναι κεῖθεν, ὅθεν ἥκει*, vel ibid. 869,

Ἥλιος δοίη βίον
τοιοῦτον, οἷον κἀμὲ, γηράναι ποτέ

At maiorem poetae libertatem cernes in talibus exemplis, ubi duorum verborum inter se finitimorum alterum adsciscit, quacum alterum coniunctum est, praepositionem, cuius rei exemplum certissimum est Ant. 523,

οὔτοι συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν,

ubi patet, *συνέχθειν* minime ob sensus necessitatem dictum esse, siquidem ne Creon quidem utrumque fratrem odio affici insserat, sed praepositionis *σύν* addendae caussa tota referenda est ad orationis aequalitatem ac similitudinem. Atque illo quidem exemplo recte defendes saepissime impugnatum versum El. 13,

ἤνεγκα κἀξέσωσα κἀξετρεψάμην,

ubi alterum *ἐξ* plane delitescere, neque additum esse, nisi aequandae ac densendae orationis caussa [2]), evincitur illius loci

1) cf. Trachin. 284. 701. Pors. ad. Eur. Or. 1645.

2) Non enim, cur factum sit, sed cur *potuerit* fieri, ut adderetur praepositio, demonstrant, qui eam a verbo *τρέφειν* non alienam esse docuerunt. (Toepfer, Comm. crit. in Soph. spec. p. 21.)

similitudine. — Ac, ne talia immerito Sophocli tribuere videamur, quamquam alia multa similia afferre possumus, nos tamen in hoc genere nos continebimus eaque afferemus, in quibus vel numerus ad numerum vel casus ad casum vel modus ad modum ita accommodatus est, ut, cur ita factum sit, alia caussa praeter illud accommodandae orationis studium, nulla reperiri possit. Velut, ut de numero videamus, habes Oed. Col. 787. sq.,

οὐκ ἔστι σοι ταῦτ', ἀλλά σοι τάδ' ἔστ', ἐκεῖ
χώρας ἀλάστωρ οὑμὸς ἐνναίων ἀεὶ,

quo loco quam caussam fuisse dices, de qua *τάδε* ad unam rem referretur, nisi praecedentis pluralis *ταῦτα* similitudinem? Vel, ut de casu videamus, praesto est eiusdem fabulae v. 1311,

ὅστις τοῦ πλέονος μέρους
χρῄζει τοῦ μετρίου παρεὶς — ζώειν,

pro *τὸ μέτριον* dictum, recte quidem, cum verbo *παριέναι* casus is additus sit, quem a sensu eius non abhorrere, synonymorum eius probatur constructione, quod genus frequens apud Sophoclem [1]) Sed iniuria, puto, huc revocant El. 1005:

λύει γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν οὐδ' ἐπωφελεῖ
βάξιν καλὴν λαβόντε δυσκλεῶς θανεῖν,

ubi non desunt, qui *λύειν* pro *λυσιτελεῖν* dictum et accusativum propter insequens *ἐπωφελεῖν* adsciscere autument. Quod quo iure faciant, ipsi viderint, nobis certe simplicior ac verior videtur Scheidewini interpretatio, coll. v. 1007 sq. *λύειν* pro *liberare* dictum accipientis, ut sensus sit: mors malis nos non liberabit, siquidem nobis ne conoedetur quidem, sed erit — si ita e Graeco more dicere licet, — *θάνατος ἄθανατος*. Cui interpretationi quod obstare videntur addita *βάξιν καλὴν λαβόντε* et *δυσκλεῶς*, id usitatissima quadam veteribus dicendi brevitate factum est, qua in unam sententiam conferciunt, quae

1) Vid. interpr. ad Oed. R. 1416, Oed. Col. 866. Ant. 21, El. 1117, 1274, Ai. 874, Oed. Col. 470. Phil. 244, 1044.

nos duabus enuntiare solemus, de quo genere dicendi, mirum in modum ab interpretibus neglecto, pluribus exponere ob temporis ac chartarum angustias nobis non licet, sed satis sit, simplicissima laudasse exempla Ant. 1106, Arist. Ran. 523 Trach 492. Sed, ut certum est, casum ad casus similitudinem accommodatum esse, ita certum est, in verbis Ai. 1237,

ποῦ βάντος ἢ ποῦ στάντος οὗπερ οὐκ ἐγώ,

nihil esse mutandum ac falsam esse Brunckii coniecturam nimis facilem illam, *ποῖ βάντος*, non tamen ideo mutandum esse Phil. 833

ὅρα ποῦ στάσει — ποῖ δὲ βάσει,

minus arcte coniunctis sententiis. In talibus enim cum plena sit poetae libertas, unica dux est fides memoriae.

Ne denique hac poetae licentia verborum vel modos, vel tempora vel genera immunia fuisse credas, conferas, quaeso, Phil. 528 sq.

μόνον θεοὶ σώζοιεν ἔκ τε τῆσδε γῆς
ἡμᾶς ὅποι τ' ἐνθένδε βουλοίμεσθα πλεῖν,

ubi operam perdunt, qui aliam usurpati optativi caussam quaerunt, praeter eam, quam gratam quandam poetae negligentiam recte dixeris. Eodem si revocaverimus Ai. 921,

ὡς ἀκμαῖος, εἰ βαίη, μόλοι,

coniectura Hermanni, *ἀκμαῖ' ἄν*, facile caremus. Non enim obstat additum *ἀκμαῖος*, quominus, — id quod maxime consentaneum est commoto mulieris animo, — optandi vim habeat particula *ὡς*, siquidem hoc quoque fieri poterat, ut Teucer *sero* veniret, reperto iam ab Atridis cadavere, itaque recte: Utinam opportuno tempore, si venit, veniat: — Accedit, quod in altera explicatione (cf. Dind. ad h. l.) nescio quid languidi inest. — Sed idem factum esse de temporibus, Dindorfio bene perspectum est, quem adeas ad. Ant. 260 sq.

λόγοι . . ἐρρόθουν κακοὶ . . κἂν ἐγίγνετο πληγή. —

De generibus vero verborum si cui incredibilia narrare videbimur, adeat, quaeso, Oed. R. 485,

οὔτε δοκοῦντ' οὔτ ἀποφάσκοντα,

et Oed. Col. 1281,

τὰ πολλὰ γάρ τοι ῥήματ' ἢ τέρψαντά τι
ἢ δυσχεράναντ' ἢ κατοικτίσαντα πως,
παρέσχε φωνήν,

de quibus locis cum veris falsa miscuerint interpretes, hoc monitum volumus, et ex iis, quae disputata sint, patere, qua vel lege vel licentia haec a poeta dicta sint, neque tamen ita dicta esse posse, ut non aliquam aliunde habeant excusationem, ut in aliis quibusdam exemplis supra demonstratum est, non enim eo usque poeta processisse putandus est, ut insane loqueretur. Sed sunt certi fines, intra quos excurrat dicendi audacia et e quibus petenda sunt, quae adhibeantur ad interpretationem, praesidia.

Sed liceat nobis hoc loco suspitionem, his ac similibus locis motam, proponere, etsi certi aliquid statuere de re a summis viris agitata, nostrum non esse, probe scimus. Dubitare igitur nos fatemur, an praestet, pro omnibus philosophicis de veterum cogitandi ac loquendi ratione vel reali vel ideali inquisitionibus, quo in genere aequo saepe iure vel iniuria in utramqne partem disputari videmus, ad eandem hanc, de qua agimus, legem revocare genus dicendi illud, quo veteres saepe quod *negata* aliqua re factum est, id ita enuntiant, tanquam res ipsa fecerit, [1]) velut Trach. 94. *ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένη τίκτει κατευνάζει τε, Ἅλιον,* (Hor. Od. I, 3, 15, Carm. saec. 9.) — Quidni, ut eorum, quae supra allata sunt, sic huius quoque rationis dicendi originem repetendam putemus ex ipso illo brevitatis atque aequalitatis studio? Cui opinioni duo succurrunt, primum, quod ipsa illa ratio dicendi plerumque locum habet in tali duorum membrorum oppositione, tum quod, ubi illa oppositio non est, contrariam rationem, eam dico, qua nos hodie, sive ideales, sive reales, utimur, non abhorruisse a veterum consuetudine videmus, cf. Aesch.

1) cf. Reisig. Vorl. etc. pag. 306.

Prom. 24. Neque vero huic opinioni hoc obstat, quod scriptores, dum illo orationis lumine mirum in modum delectantur, etiam absque tali oppositione saepe ita loquentes videmus, (Ai 674) qua re nihil frequentius. —

Ad totas vero sententias quoque pertinere legem illam, satis perspectum fuit interpretibus, cf. Oed. Col. 1410, Oed. Col. 1342, 1019, (Hom. Il. III, 89 sq) Phil. 1097. c annot. Buttm.

Sed, ut redeamus, unde exorsi sumus, apparet profecto, quantum huic orationis aequalitati ac similitudini Sophocles tribuerit, neque credibile est, accusativum illum *θανόντ'* duobus dativis esse stipatum. Immo boc nostro iure exspectamus, provisum esse a poeta, ut illa quasi orationis durities quaedam, quae posita est in accusativo illo tertium casum subsequenti, mitigaretur alterius casus quarti lenocinio. Itaque felici sive errore sive coniectura in L. b. „*με ζῶντα*“ scriptum putamus, quo tamen recepto non ideo vulnus cum Bothio persanatum putamus. Qui quod *ἕξετον* vertit „amplectemini“, neque sensui satisfecit, neque ullum idoneum exemplum attulit. Alliena enim esse, quae laudavit, [1]) vel novissimo eorum clare demonstratur. Nam, ut in illo, sic in omnibus principalis notio non est „amplectendi“, sed *ἔχειν* cum emphasi quadam dictum est: „teneo te, pridem amissum iamque mihi restitutum“. Id vero a nostro loco satis alienum est. Quae cum ita sint, non dubitamus, quin in *ἕξετον* vitium aliquod lateat, — neque enim idoneam caussam allatam videmus, cur aut de omittendo hoc aut de omisso altero versu cogitemus, — cui haud scio an succurrendum sit substituendo vocabulo *στέργειν*, aptissimo illo ad pietatis officiorum notionem exprimendam, quamquam qua ratione id fieri debeat, minus exploratum esse fatemur. De ea re igitur prudentiorum sit iudicium, interim, si minus fidem, at veniam habituram speramus coniecturam hance:

ἐπεὶ οὔ με ζῶντα γ' αὖ τι στέρξετον.

1) f. Herm. et Wund ad h. l.

Non recte sese habere vers. El. 356 Brunckio bene perspectum fuit, quomodo sanandus esset, minus recte intellexisse videtur. Is enim, cum in L. hunc in modum perscriptus sit:

ἐμοὶ γὰρ ἔστω τοῦ με μὴ λυπεῖν μόνον βόσκημα

a plerisque editoribus sic exaratus est, ut, reliquis servatis, scriberent: *τοὐμὲ μὴ λυπεῖν κ. τ. λ.*, ita, ut Electra suum alimentum hoc esse dicat, ut se ipsam non moerore afficiat, quod ita accipiendum esse, ut illa a mente sua se unquam desciscere velle neget. At id cum nimis obscure dictum sit, tum ita dici ab Electra eo minus potest, quod illa tantum abest, ut tristitiam ac moerorem a se deprecetur, ea ut nunquam sese omissuram testetur, cf. v. 224 sqq.:

ἀλλ' ἐν γὰρ δεινοῖς οὐ σχήσω
ταύτας ἄτας
ὄφρα με βίος ἔχῃ.

Itaque Brunckius sic scribendum censuit:

ἐμοὶ γὰρ ἔστω τοὐμέ νιν λυπεῖν κ. τ. λ.,

quale tamen ingenium puellae generosae ac fortis illius quidem, non item inhumanae, Sophoclem finxisse ut credam, non possum a me impetrare. Rectam vero emendandi viam Schneidewinus ingressus, coniectandi temeritate rem turbavit. Etenim cum recte divinasset, qualis fere sensus esse deberet, siquidem Electra hoc unum alimentum suum dicere potest, ut ea, quae patri suo crudeliter interempto debeantur, non omittat, hance ille emendationem proposuit: *τοὐμὲ μὴ λήγειν γόων*, a fide memoriae nimis recedentem. Itaque leviore mutatione loco mederi aptumque sensum eruere videmur, si scribimus:

ἐμοὶ γὰρ ἔστω τἀμὰ μὴ λυπεῖν μόνον βόσκημα,

ita ut puella generosissima hoc suum alimentum esse dicat, ut ea, quae tanquam propria habeat ac sua, non afficiat ullo moerore; intellegit vero et patrem et omnia, quae cum memoria patris sunt coniuncta,[1]) unde excusationem habet et quod adiectivi illius, ad patrem potissimum referendi, neutrum

1) Idem scholiasta et legisse et sensisse videtur, sic scribens: *τοῦ μὴ λυπεῖν τὸν πατέρα.*

plurale usurpatum est, et quod quae tam rerum, quam hominis habent notionem, tristitia affici dicuntur. Sed exemplis allatis faciendum nobis videmus, ut quae primo obtutu non levem offensionem habere videntur, ea a Sophocle et dici potuisse et dicta esse appareat. Ac primum quidem neutrius pluralis ad unum hominem referendi usus quam non abhorreat a tragicorum usu, iis locis probatur, quibus praedicati loco positum est, velut Phil. 435,

Πάτροκλος, ὃς σοῦ πατρὸς ἦν τὰ φίλτατα,

de quibus cf. Pors. ad. Eur. Or. 1051, tum, quod rem propius tangit, El. 972,

φιλεῖ γὰρ πρὸς τὰ χρηστὰ πᾶς ὁρᾶν.

Versum quidem eiusd. fab. 1471 aliquanto ab his differre video, siquidem Orestes neque *τόνδε* dicere poterat, mulieris corpore sub tegmine latente, neque vero *τήνδε*, ne occuparet dicendo, quo oculos Aegisthi percelli, magis tragicum erat. — Quod vero Electra se *λυπεῖν τὰ αὑτῆς* dicit, satis munitur huius fab. v. 437, *ἀλλ' ἀντ' ἀδελφοῦ δῆτα Μενέλεω κτανὼν τἄμ'*, — qui versus, sive genuinus est, Sophoclem non abhorruisse a tali genere dicendi comprobat, sive spurius, ut Nauckio videtur, ad illius imitationem videtur esse compositus. Sed, cum ex illis, quae iam attulimus, pateat, potuisse a Sophocle dici *λυπεῖν τἀμά*, tum id hoc loco dictum esse, certissime comprobatur versu 421, ubi non dubium, quin huius loci ratio habeatur, cum Clytaemnestra dicat:

ἐξεῖπας ὡς θρασεῖα καὶ πέρα δίκης
ἄρχω, καθυβρίζουσα καὶ σὲ καὶ τὰ σά.

Versum Aiacis fabulae 269 Laurentianus hoc modo scriptum exhibet:

ἡμεῖς ἄρ' οὐ νοσοῦντες ἀτώμεστα νῦν

quam scripturam qui retinent atque ita explicant, „ut Te-

cmessa Aiacem secum confundat ob amoris et fortunarum coniunctionem“, non animadverterunt, cum hoc perinepte dici, tum plane perturbari ordinem sententiarum. Nam, ut laudabile sit, malorum alterius sese facere participem, ita insaniae societatem haud scio an nemo, nisi et ipse insanus, ineat; multo insanior vero, quam ipsa sibi videretur, Tecmessa fuisse debet, si talia dicebat, quae neque ad antecedentia, neque ad subsequentia accommodata sunt. Dixerat enim chorus, v. 168, duplex malum peius esse simplici. Ad ea cum Tecmessa, paullo argutius quidem, sed e more Sophoclis, concludat: *ἡμεῖς ἄρ' — ἀτώμεσθα νῦν*, dupliciter sane de duplici malo potest cogitare, siquidem aut unum malum duorum hominum, aut duo unius intellegere potest, debetque horum alterum iis, de quibus agimus, verbis esse expressum. Utrum igitur dicere voluerit, docemur iis, quae illa choro, huius rei non minus, quam nosmet ipsi, curioso et, quid sibi velit, quaerenti, respondet. Ait enim, iamiam non solos sese chorumque, ut antea, sic nunc tristitia esse affectos, quod, utpote sanae mentis, mala illius pridem intellexerint, sed ipsum etiam Aiacem, ut liberatum insania, mala sua et videre et aegre ferre. Nam illum quidem antea gavisum esse:

αὐτὸς μὲν ἥδεθ' οἷσιν εἴχετ' ἐν κακοῖς,

nunc vero et illum et sese ipsos dolore affectos esse:

κεῖνός τε λύπῃ πᾶς ἐλήλαται κακῇ
ἡμεῖς θ' ὁμοίως οὐδὲν ἧσσον ἢ πάρος.

Quae cum ita sint, in promptu est, intellegere, quas personas Tecmessa illis *ἡμεῖς ἄρ' — ἀτώμεσθα νῦν* significet, et qua de caussa illud *νοσοῦντες* ferri nequeat. In hoc enim omnis vis orationis versatur, quod restituta Aiacis valetudine malum auctum sit, ut est, iam enim ille de morte cogitat, omnesque miseri sunt, et ille ipse et quidquid est amicorum, unde recte, puto, Schneidewinus: (ed prim.)

ἡμεῖς ἄρ' οὐ νοσοῦντος ἀτώμεσθα νῦν,

cuiusmodi genitivi absoluti exempla sunt Ant. 909, loco utique suspecto exstans, Phil. 1140, Eur. Phoen. 1134.

Quam Electrae vers. 435 sq. habere difficultatem planum est:

ἀλλ' ἢ πνοαῖσιν ἢ βαθυσκαφεῖ κόνει κρύψον νιν,

eam interpretes variis modis expedire conati sunt, quod quo factum sit successu, operae pretium erit, inquirere. Sunt igitur, qui *κρύψον* membro posteriori aptum esse dicant, ita, ut ad *πνοαῖσιν* supplendum sit *δός*, vel simile verbum, cuius rei exemplum esse eiusdem fabulae v. 72 sq. Illi igitur, ut intellegatur, quo iure huc revocentur, proponendi sunt:

καὶ μή μ' ἄτιμον τῆσδ' ἀποστείλητε γῆς,
ἀλλ' ἀρχέπλουτον καὶ καταστάτην δόμων, —

ubi quod *δέξασθε*, ut illic *δός*, supplendum esse dicunt, videbis tamen, quanta sit horum discrepantia. Hic enim cum oppositionis particula *ἀλλά* oppositae significationis verbum nobis ultro inculcet, priori loco et aliam quandam inter duo membra intercedere rationem, neque oppositae, sed similis notionis verbum suppleri vides. Itaque nec talium locorum comparatione rem confectam dixerim, neque si quis tamen in ea acquiescat, verba illa omni offensione carere video. Cuius quidem sublatae laudem ne Schneidewino quidem tribuerim, locum ita expedienti, ut Electra, *πνοαῖσι μεθές* dictura, cum timuerit, ne ventus aliquid ad tumulum ferret, sese correxerit, addideritque: *ἢ βαθυσκαφεῖ κόνει κρύψον.* — At talem metum vereor, ut vel maxime anxium ingenium unquam conceperit, neque duplicata *ἤ* particula apta est ei, qui sese ipsum corrigit, quem ea semel uti par est. — Itaque, ut cautum ac certum de hoc loco fiat iudicium, videndum est, qua ratione Sophocles illam zeugmatis figuram usurpaverit. Id igitur ita fecit, ut certam quandam legem nunquam migraret, hanc dico, ut quod verbum cogitando assumitur, eius notio vel contineatur eo, quod positum est, verbo, ut magis generalis significationis, vel contra, nunquam vero coordinatae notiones altera ex altera deducantur, nisi certa quadam conditione, de qua infra videbimus.

Ac prioris quidem generis exemplum habes El. 825:

ποῦ ποτε κεραυνοὶ Διὸς, ἢ ποῦ φαέθων Ἅλιος
εἰ ταῦτ' ἐφορῶντες
κρύπτουσιν ἕκηλοι, —

ubi si qui *κρύπτειν* intransitive pro latere dictum putant, possint fortasse laudare Eur. Hec. 486: *Ὦ Ζεῦ τί λέξω, πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν;* — sed vereor, ut quod in Iovem cadere potest, idem aptum sit fulminibus vel soli, quibus nil oculos nostros magis perstringit. Immo recte faciunt, qui *κρύπτειν*, quod propter antecedens *ἐφορῶντες* dictum videtur, ita explicant, ut, cum sol rem in occulto relinquere dicatur, latens in hac re „non puniendi“ notio ad fulmina referatur. Contrariam huic rationem cadere videbis in Phil. 706 sq. *οὐ φορβὰν ἱερᾶς γᾶς σπόρον οὐκ ἄλλων αἴρων*, generali *capiendi* notione deducta ex angustiore *tollendi.*

Neque vero legem illam neglectam esse, recte putaveris El. 1314:

θανόντα τε καὶ ζῶντ' ἐσεῖδον,

ubi quod ad *θανόντα* recte suppletur *ἤκουσα,* id cave putes *ἐσεῖδον* verbi coordinatam notionem esse, cuius magis generalem vim abunde probat illud *κτύπον δέδορκα*[2]), ita ut angustiorem *audiendi* e *percipiendi* latiore notione recte assumptam intellegas. — Quam vero legis exceptionem esse diximus, ad tales locos pertinet, quales sunt Oed. R. 1256. sq.,

ἔγχος ἐξαιτῶν πορεῖν
μητρῴαν δ' ὅποι κίχοι ἄρουραν,

eiusdemque fabulae v. 1255 sq.,

δειλίαν ἢ μωρίαν
ἰδών τιν' ἔν μοι . . ἢ τοὔργον ὡς οὐ γνωριοῖμί σου, —

ubi facilem transitum ad coordinatas poscendo rogandi, videndo putandi notiones muniunt praepositae alteri cuique membro coniunctiones, quam eandem rationem esse diximus El. 72. —

Unam diximus esse exceptionem, addenda fortasse erat

2) **Aesch. Sept. 89. cf. Prom. 22.**

altera, id dico dicendi genus, quo non alterum verbum similis significationis, sed eiusdem verbi altera significatio cogitando suppletur, ut Trach. 752. sq. Antig. 287, coll. Oed. Col. 1341; 620, — Phil. 14, Oed. Col. 764, quo illud quoque pertinet, quod ex altero membro ad alterum saepe verbum finitum, mutato tempore, assumendum est, ut Phil. 1314, quae omnia idonea excusatione non carent.

Itaque, si verum est, quod trito illo de exceptionibus proverbio dicitur, certam iam atque exploratam legem ad iudicium de nostro loco conferre possumus. Sic igitur iudicamus, ab ipsa lege nihil obici posse interpretibus, latiorem „mittendi“ notionem ex angustiore „abscondendi“ deducentibus. At altera dehinc oritur quaestio, num per sensum loci liceat cogitari „*δὸς πνοαῖσιν*“. Qua de re ita sentimus, non recte dari ventis dici, quae ubi e manu missa sunt, statim in terram sint casura, neque, — siquidem Schneidewini commentum illud „Electrae verba sua retractantis“ recte refutatum est, — Electram ullo alio loco abscondi *ἔμπυρα* illa iubere posse, quam quo illa non interire ac dissipari deberent, sed ubi matri tanquam *κειμήλια* (v. 438) asservarentur. E quibus patet, tale aliquod vocabulum a poeta scriptum fuisse, quod voci *κόνει* aliquo modo esset oppositum illud quidem, neque tamen adeo ab illa differret, ut non significaret aliquid, ubi talia *κειμήλια* tuto possent abscondi. Tale igitur, ex quo prono calami vitio vel errore oculorum *πνοαῖσι* oriri poterat, habebis, si scripseris:

ἀλλ' ἢ πέτραισιν ἢ βαθυσκάφει κόνει κρύψον νιν

coll. de *πέτρα*, cava rupium significante, Phil. 16, de re, si necesse erit, Hor. Sat. II, 3, 173.

Quodsi certa est atque inviolabilis artis criticae lex, ut quam maxime cavendum sit, ne pro eo, quod insolito aliquo ac novo modo dictum nobis occurrit, dummodo ne aperte

repugnet iis legibus, quas negligere optimi quique scriptores maxime religioni ducunt, tale quid ponamus, quo, cum usitatius sit, minus prono errore a sciolis librariis forma magis insolita commutari poterat, veniam nos speramus habituros, si nos dubitare fatebimur, an non retinendum sit, quod scriptum est El. 710, sq. *στάντες δ'ὅθ' αὐτοὺς οἱ τεταγμένοι βραβῆς κλήροις ἔπηλαν καὶ κατέστησαν δίφρους*, quod cur commutari nolim forma dicendi satis usitata *κλήρους ἔπηλαν* (*αὐτούς*), breviter exponere liceat. — Primum igitur non raro a Sophocle factum videmus, ut dativo substantivi alicuius abundanter, ut aiunt, participium adderet verbi vel intransitivi vel transitivi, cuius exempla habes Trach. 170, Oed. C. 1825, quodque maxime rem tangit, huius fab. v. 44:

ἄγγελλε δ'ὅρκῳ, προστιθείς [1]),

Ad horum similitudinem igitur sine ulla offensione dici poterat: *ὅθ' αὐτοὺς οἱ βραβῆς κλήροις, πάλλοντες, κατέστησαν* — quem dativum (*κατὰ κλήρους* recte se habere, documento est Eur. Phoen. v. 658, *θάρσει προκρίνας, ἢ φρενῶν εὐβουλίᾳ*; Talis igitur constructio cum poetae obversata esse videatur, factum est, quod saepissime factum esse videmus, ut, cum amplificandae descriptionis caussa *δίφρων* quoque mentio facienda videretur, coeptam ille constructionem mutaret, pro participio poneret indicativum, denique *κατέστησαν* verbum particula *καὶ* verbo *ἔπηλαν* adiungens, simul ad *αὐτούς* et ad *δίφρους* referret. — Hac igitur ratione si verba illa, grata, utique ac fortasse quaesita negligentia dicta, accipiemus, etsi ad verbum verti nequeunt, quia non sunt Latine vel Germanice, sed Graece et cogitata et dicta, tantum abest, ut iis

---

1) scil. *αὐτόν* vel *ὅρκον* quod cum Dindorfium fugere non potuerit, (quem videas ad. h. l.) videtur is dativo *ὅρκῳ* supra modum offensus esse, quem tamen recte dictum esse ex analogia dativi instrumentalis, certo credimus, cum poetae animo obversaretur: Nuntia, (*fidem faciens*) iure iurando, — quod cum obscurius dictum esse ipse poeta sentiret, addidit illud *προστιθείς*. —

ulla insit iusta offensio, ut metus mihi sit, ne, si mutaverimus, poetae alas nimis anxie circumcidere videamur.

Quam ad Antig. v. 190 coniecturam excogitaveramus:

καὶ ταύτης ἔπι
πλέοντες ὀρθῶς τούς φίλους ποιούμεθα,

ut *ὀρθῶς* (pro *ὀρθῆς*) ob caesuram cum *πλέοντες* coniunctum, sensu simul ad *φίλους ποιούμεθα* referretur, de ea coeptum esse a nobis dubitari fatemur, ubi primum ab Hartungio occupatam comperimus, ut eam prorsus reiceremus, adducti sumus Bonitzii et Arndtii disputationibus [1]). Non quod horum rationes usquequaque veras putaremus, sed vidimus, verba minus idonea illa quidem at a ratione gramatica undique tuta praeferenda esse sensui magis blando, at precaria legum linguae commendatione niso. Id igitur sic putamus: magis e re futurum fuisse, si ab obedientia erga patriam pendere felicem amicitiarum successum, — utique Polynicis exemplo probatum illud, — Creon dixisset, quam, quod Bonitzius Arndtiusque recte e genuinis, ut videtur, verbis eruunt: non posse nos, nisi salva patria, ullos amicos nobis comparare, id quod ipsius Polynicis illius exemplo refutaveris facilius, quam probaveris. Eum vero a Creonte oblique perstringi, apertum est. Sed ut illam coniecturam reiciendam putaremus, hac de caussa factum est, quod metuendum esse videbamus, ne indignum dicendi genus Sophocli obtruderemus, e quo vocabulum, medio inter duas sententias loco positum, ad utramque refertur. Quae quidem dicendi forma, si minus ab omnibus, bonis quidem, veteribus scriptoribus, at certe a Sophoclis dictione aliena esse videtur. Nam, etsi non raro ab eo factum est, ut ex altero sententiae alicuius membro ad alterum vocabulum aliquod assumeret, cuius rei varia exempla sunt, velut Oed. R. 734,

---

1) Bonitz. l. c. Arndt. Progr. des Gymn. zu Neubrandenburg. 1854.

ἐς ταὐτὸ Δελφῶν κἀπὸ Δαυλίας ἄγει,

cf. Oed. R. 638, 761, 1204, vel. El. 929,

ἡδὺς οὔτε μητρὶ δυσχερής,

cf. El. 105. Oed. Col. 1777, Ant. 1155,

videmus tamen, id in minoribus et coordinatis sententiarum membris fieri, et quam ὀρθῶς illud e nostra, vel iam non nostra, sed Hartungii coniectura medium inter duas sententias positum excusationem habere videtur, quod oculorum auriumque auxilio facilius, quam illa ἀπό, μητρί ad utramque referatur, id ipsum, ut illa delectant, sic hoc sensum nostrum nescio qua offensione laedit non mediocri. Neque vero certum huius generis exemplum ullum apud Sophoclem invenimus, siquidem quae huc pertinere videntur, Trach. 305, Phil. 404 Trach. 713, Antig. 904, nil certi probare possunt. Itaque hoc quoque interpretum commentum ad illa „confusionis duarum constructionum“ vel „personarum commoto animo confuse loquentium“ scruta relegandum videtur, quibus optandum est, ut desinant, optimos quosque scriptores dehonestare. Quae cum ita sint, Bonitzii Arndtiique interpretationem quam libentissime amplexi, poetae exaggerate loquenti ultro condonamus, quam dure loquens habiturus non esset, veniam.

Οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν οὔτ' ἄτης ἄτερ
οὔτ' αἰσχρὸν οὔτ' ἄτιμόν ἐσθ', ὁποῖον οὐ
τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.

Ant. v. 4 sqq.

Metuendum esse nobis videmus, ut arrogantiae crimen effugere possimus, si ad locum conclamatissimum accedere ausi, spem nobis fuisse prodiderimus, fore, ut ad tollendum vitium, pertinacius illud, quam quod mille hominum doctissimorum curis tandem cederet, conferremus aliquid, quod et novum esset et bonae frugis. Et tamen nos invitos ab hoc emendandarum

optimi poetae relliquiarum negotio discessuros esse videbamus, nisi, quae non celeri quodam motu ingeni, sed re saepe ac diligenter perpensa, inveneramus, ea, qua par esset, modestia proponeremus. Liceat igitur, ea, quae via ac ratione invenisse videmur, quam brevissime proponere, ne moleste laudare videamur, quibus, si se non ipsa probabunt, commendatione nostra fidem addere nec poterimus, nec volemus.

Quo cautius igitur in re satis lubrica procedamus, primum omnium videndum est, quid nos ipsa loci natura ac ratio doceat. De ea igitur sic sentimus, orationem hoc loco esse simplicissimam versuumque quarti et quinti maximam esse debere similitudinem ac congruentiam. Itaque, — ut illa ἄτης ἄτερ interim nihil curemus, — nihil aliud expectes, quam ut in fine versus 4 tale adiectivum sit positum, quod compari voci ἀλγεινός eodem modo respondeat, quo v. 5. vocabulo αἰσχρός vox ἄτιμος: ut negato contrario eadem notio fortius efferatur. Hinc igitur recte, non dico conicias, sed tibi persuadeas, excidisse ibi vocabulum aliquod, quod compositum fuerit ex a privativo, vel similis potestatis particula, — neque enim opus videtur, ut omnia ad amussim inter se responderint, — et tali adiectivo, quod cum α illo coniunctum ad infortuni notionem aliquo modo pertinuerit.

Hucusque igitur loci natura edocti sumus, quae cuique probari, qui non praeiudicata aliqua opinione ad illum accesserit, nobis persuasum est, iam proferenda sunt, quae de ἄτης ἄτερ sentiamus. De quibus mira narrare videbimur, si hoc nobis persuasum dixerimus, ipsa illa verba in locum illum egregie quadrare. — Et tamen prorsus ita sentimus, nam et ad adiectivum illud, quod ad *infortuni* notionem pertinere diximus, ita quadrat notio ἄτης vocabuli, ut nihil melius, et, quacum illud compositum fuisse diximus, α vel similis particula, ea profecto unica caussa fuisse potest, cur adscriberetur ἄτερ. Haec igitur si vera dicta videntur, reliqua interim nil cures quaeso, sed illa nobis concede: iam intelle-

ges, imprudentiae ac temeritatis esse, ob primam rei speciem scilicet mutare quidquam in illis vocabulis, quae et genuino Sophoclis verbo facillime adnotari poterant et e quibus solis peti possunt ad investigandum genuinum vocabulum praesidia.

Quae vero hic sit difficultas, neque nos latet, et infra, ut spero, expedietur. Sed res eo iam deducta est, ut de infelicissimis illis criticorum conaminibus summatim quid sentiendum sit, dicendum videatur, de quibus recte, spero, iudicabimus, si iis, quae iam dicta sunt, tamquam fundamento utamur ac norma, ad quam ista metiamur. Ab illis igitur duabus rationibus praecipue peccatum esse patet, cum aut loci simplicitatem versuumque congruentiam turbaverint, [1]) aut vel in ἄτης vel in ἄτερ vel in utroque vitium calami videre visi sint. Quod qua de caussa sic putaverint, in promptu est: contraria enim illarum vocularum vis est ei, quam illic recte exspectes; cur iniuria sic putare credam, haece caussae sunt: prima, quod illis ἄτης ἄτερ quibus diximus de caussis carere nec possumus nec volumus; videndum potius erat, an non alia aliqua ratione tolli difficultas illa posset, deinde quod nec sibi constant atque incredibilia ob nimium artificium narrare videntur, qui ἄτης vel e glossemate, vel alio nescio quo casu, ἄτερ duplicato errore ex ἄτης ortum putant, tum quia talia saepe ea mente dicta videntur, ut coniecturis satis levibus qualiscunque accederet commendatio, postremo quod quae-

1) Huc pertinent, quae inde a Didymo usque ad Hermannum „duarum negationum sese vel tollentium vel non tollentium" machinationes, adhibita ad locum innocentissimum omni mole attractionum et anacoluthiarum, excogitatae sunt, (vid. Herm. ad. Soph. Ant. 4 ed. II.) a quibus abhorret loci simplicitas orationisque, ut in fabulae initio, sedata ingressio, — et Seidleri interpretatio, οὔτε — οὔτε, v. 5, pro ἤ — ἤ dicta et verbis ἄτης ἄτερ subiuncta putantis, perversa sententia et turbata versuum aequalitate, unde paullo melius fortasse, sed item falso, qui in eundem sensum coniecit:

οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν οὔτ' ἀναίτιον
ρὔτ αἰσχρὸν οὔτ' ἄτιμόν ἐσθ' ὁποῖον οὐ κ. τ. λ.

cunque talibus opinionibus nituntur coniecturae ad unam omnes scabrae sunt atque infelicissimae [1]).

His igitur, si recte dicta sunt, effecimus, ut duo nobis concedere debeas: primum, hoc loco non esse de calami vitio ullo cogitandum, sed caussam mendae esse, quod genuinum ac Sophoclium vocabulum locum cesserit talibus, quae initio nescio quis ennarrandi gratia ad marginem adscripserit, alterum, ipsa illa verba, e glossemate aliquo desumpta, recte exscripta, neque in iis quidquam mutandum esse, nisi quae felici casu servata sunt, iis nos ultro spoliare volemus. Iam vero dixerit quispiam: Quid, malum, qui putas enarrandi gratia adscribi potuisse, quae sensum plane contrarium habent ei, quem sanus quisque desiderat? Nonne, quae est istorum ἄτης ἄτερ perversitas, eadem eius, quam Sophocles posuerat, vocabuli fuisse debet? Ad haec igitur sic respondeo: probe scio et video ob hanc ipsam caussam criticos ad ineptissima quaeque delapsos esse, dum ea tantum spectant, quibus ista discrepare videntur, negligunt, quae negligere nefas fuit, ea dico, quae egregie ac praeter exspectationem congruunt, de quibus suo loco diximus, non ita facturi, si expediendae illius difficultatis, si minus duas, ad unam viam esse vidissent, neque arduam, neque vero insolitam aut novam. Nam quod primo obtutu putaveramus, a Sophocle tale adiectivum scriptum fuisse, quod deductum esset a vocabulo aliquo *mediae*, quam dicunt, significationis, quod cum α privativo compositum, cum significaret „absque salute", ab interprete in alteram partem acceptum caussa fuisset, cur adnotaret „sine noxa", ἄτης ἄτερ, id num fieri potuerit, recte dubitabamus, siquidem tale adiectivum nequaquam reperiri ac, ni fallor, ne cogitari quidem potest, siquidem α illud certam ac definitam vocis, quacum coit, notionem requirit; at haec certe restat ratio, tanquam ultima naufragorum tabula, ut illa ἄτης ἄτερ fragmina

1) Huc pertinent illa ἄγης ἄτερ, ἄτης ἄγον, ἀτήριον, ἀτήσιμον, ἄτης γέμον, alia.

amplioris olim glossematis esse putemus, quod etsi praecipue ad id, quod excidit, adiectivum spectaverit, idem totius loci sensui fuerit accommodatum. Quod cum multis rationibus factum esse possit, de quibus pro suo quemque ingenio cogitare libenter patiemur, simplicissima tamen ac toti loco non minus, quam suppresso vocabulo accommodata forma talius glossematis nescio an haece fuerit: *οὐδὲν ἄτης ἄτερ παρ' ἡμῖν*, — quae si cum tota sententia iisque, quae de sensu ac compositione genuini olim adiectivi dicta sunt, contuleris, intelleges, et apte adnotari potuisse, et ubi pars eius, ea, ut videtur, quae in eadem, qua v. 4 lineola perscripta erat, in textum irrepserit, eam, utpote e continua oratione desumptam, sensum minus idoneum praebere debuisse. Felici vero casu factum esse, ut ipsa ea pars in textum reciperetur, quae ad adiectivum illud praecipue spectaverit, iis certissime evincitur, quae ab initio disputationis de voculis illis monuimus: iam hoc intelleximus accuratius, qua ratione illuc pertinuerit. Hac igitur mera quidem opinione, cui haec certe accedit commendatio, quod unico nobis quidem est praesidio ad solvendum aenigma illud, in quo multo minus laborare ceteros, gravissimis rationibus neglectis, consentaneum erat, illa igitur pro idoneo fundamento uti possumus, ad rationem genuini ac Sophoclii adiectivi accuratius definiendam. Qua in re tertium hoc ac maximum criticorum peccatum deprehendimus, quod, cuius vocabuli, *ἄτης* dico, sola *notio*, altero in vocabulo latens, retinenda erat, ab eo ipso monstra verborum derivarent, ut insererent textui. Quasi vero ipsa scriptorum verba, non synonyma adnotari solita sint. Hinc illae lacrimae! Videbant scilicet, se *ἄτης* illo, quod tamen e calami vitio ortum putabant, minime posse carere. Rectum, puto, hoc erit, ut neglecto illo *ἄτερ*, de *ἄτης* sic concludamus: quod adiectivum ad ***infortuni*** notionem universe spectare supra vidimus, id ***fatalis*** infortuni notione fuisse imbutum deductumque a synonymo *ἄτης* vocabulo, de reliquis-e natura loci faciendum esse iudicium.

Haec igitur cum ita disseruisse videamur, ut ubique rationibus certis nostra niteretur disputatio, iam eo deducta res est, ut coniectandi periculo locus esse videatur. Qua in re neque pro certo vendere quidquam volumus, et prudentiorum iudicio facile sumus cessuri; sed tamen ad ea, quae disputando invenimus, haud male quadrare videtur emendatio haece:

οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν οὔτε δύσμορον
οὔτ' αἰσχρὸν οὔτ' ἄτιμόν ἐσθ', ὁποῖον οὐ
τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.

Huic nostro opusculo, quod et immaturis viribus et temporis tantis angustiis confecimus, ut ne *δευτέραις* quidem *φροντίσιν* locus esset, aliquid preti nos addituros esse sperabamus, si omnes eos locos in unum collectos exhibuissemus, quibus genere quodam dicendi usus est noster summus verborum artifex, quod praeter ceteros tragicos maxime adamasse videtur, et in quo praecipue ars eius haec apparet, qua quae quotidianae vitae usu trita erant, ut dignitate tragoediae vix viderentur digna, ea ita in usus suos convertit, ut et novis luminibus orationem suam distingueret, neque tamen eo procederet audaciae, ut quae cuiusque generis sunt certae atque inviolabiles leges, migraret. Est vero genus dicendi hoc, — quo vix ullum interpretibus diutius fraudem fecit, — quo, ubi de aliqua re aliquid ita praedicatur, ut id ad singulas quasque partes, nulla excepta, dicatur pertinere, ea proferuntur, quae in ipsa illa re inter se maxime opposita sunt, quod genus dicendi non Graecorum Romanorumque orationis solum, sed recentium quoqne linguarum usu trita est.[1]) Huius igitur quae apud Sophoclem exstant exempla bipartito afferemus, ita ut ab iis, quae sermonis vulgaris maximam habent similitudinem exorsi, ad ea transeamus, quae callida verborum iunctura a poeta feliciter novata esse intellegemus.

1) *νὺξ καὶ λάξ, ὕπαρ καὶ ὄναρ*, die ac nocte, per fas et nefas, susque deque, sacra profanis miscere, mit Hand und Fuss, drunter unter drüber, etc.

Ac quotidiano quidem sermoni maxime accommodati illi loci sunt, quibus duo vocabula eo, quo diximus, modo inter se opposita et particulis *καί-καί*, *ἤ-ἤ*, *οὔτε-οὔτε* coniuncta, nihil nisi „universifatis“ notionem inculcant, ipsa ipsorum vi ac significatione plus minusve delitescente, quamquam hic quoque poetam ultra vulgarem usum progressum esse ex ipsis exemplis deinceps enumeratis intelleges. Huc igitur pertinent:

El. 259, *κατ' ἦμαρ καὶ κατ' εὐφρόνην*, [1]) — Oed. C. 1001, *ῥητὸν ἄρρητόν τ' ἔπος*, (dicenda, tacenda locutus, Hor. Ep. I, 7, 72.) — Oed. R. 73, *ὅ τι δρῶν ἢ τί φωνῶν*, (*δρῶντα ἢ λέγοντα*, Aesch. Prom. 660.) Oed. R. 517, *λόγοισιν εἴτ' ἔργοισιν*, (*καὶ χερσὶ καὶ λόγοισι*, Eur. Phoen. 322, *τίν' οὐ δρῶν, ποῖα δ'οὐ λέγων ἔπη*, ibid. 893.) Oed. R. 864, *ἁγνείαν λόγων ἔργων τε πάντων*, ibid. 833, *χερσὶν ἢ λόγῳ*, Oed. C. 68, *λόγῳ τε καὶ σθένει*, — Trach. 257, *σὺν παιδὶ καὶ γυναικί*[2]) — Phil. 770, (*μήτ'*) *ἑκόντα μήτ' ἄκοντα μηδέ τῳ τέχνῃ*, — Ant. 181, *νῦν τε καὶ πάλαι δοκεῖ*, (*δοκοῦντα καὶ δόξαντα*, Aesch. Sept. 989.) El. 1498, *τά τ'ὄντα καὶ μέλλοντα-κακά*, Ant. 611, *τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον καὶ τὸ πρὶν ἐπαρκέσει*, — Oed. C. 898, *πάντ' ἀναγκάσει λεὼν ἄνιππον ἱππότην τε*, — Oed. R. 1427, *τὸ μήτε γῆ μήτ' ὄμβρος ἱρὸς μήτε φῶς προσδέξεται*, Oed. C. 1685, *ἤ τιν' ἀπίαν γᾶν ἢ πόντου κλύδων' ἀλώμεναι*, — Oed. R. 816, *ὃν μὴ ξένων ἔξεστι μηδ' ἀστῶν τινὰ δέχεσθαι*, El. 975, *τίς γάρ ποτ' ἀστῶν ἢ ξένων ἡμᾶς ἰδών*, — Oed. R. 300, *ὦ πάντα νωμῶν-διδακτά τε ἄρρητά τ' οὐράνιά τε καὶ χθονοστιβῆ*, (*ἐχθρὸν βροτοῖσί τε καὶ δαροβίοισι θεοῖσι*, Aesch. Sept. 504. *ὦ δειλότατε θεῶν σὺ κἀνθρώπων*, Arist. Ran. 487.) — Ant. 1244, *πρὶν εἰπεῖν ἐσθλὸν ἢ κακὸν λόγον*, Trach. 227, *οὐδαμὰ προὔφηνεν οὔτε μείζον', οὔτ' ἐλάσσονα*. — El. 265, *κἄκ τῶνδέ μοι λαβεῖν θ'ὁμοίως καὶ τὸ τητᾶσθαι πέλει*, — El. 305, *τὰς οὔσας τέ μου καὶ τὰς ἀπούσας ἐλπίδας διέφθορεν*, Ant. 1108, *οἵ τ' ὄντες οἵ τ ἀπόντες*.

---

1) In orat. pedestri, *ὕπαρ καὶ ὄνάρ*.

In his igitur cum oppositorum inter se vocabulorum vim ac significationem vel plane delitescere, vel admodum negligi prae fortius urgendae „universitatis“ intentione appareat, quae res saepissime fraudi fuit interpretibus, de singulorum vi, dum universam legem ignorant, plus aequo anxiis, — ab hac igitur dicendi ratione vide, quanta arte Sophocles novos orationis colores mutuatus sit. Etenim callida quadam duarum constructionum non confusione, sed iunctura utens, in interrogationibus praecipue talia vocabula inter se opposuit, quae et sua vi ac dignitate constarent, et eadem ad illorum similitudinem dicta viderentur.

Ac medium quidem locum inter utrumque genus tenere, a vulgari usu tamen non nihil differe, intelleges Ai. 1236: *ποίου κέκραγας ἀνδρὸς ὧδ ὑπέρφρονα, ποῦ βάντος ἢ ποῦ στάντος, οὗπερ οὐκ ἐγώ;* ubi significatur, prorsus *nihil* Aiacem fecisse absque Agamemnone, et Phil. 833, *ὅρα ποῦ στάσει, ποῖ δὲ βάσει*, monente choro, ut *omnia* provideantur, delitescente ipsa verborum vi ac significatione. At prorsus alienam ab usu vulgari novamque rationem intelleges esse Phil. 135, *τί χρή με στέγειν ἢ τί λέγειν*, ubi chorus simul dicit, se de *omnibus* quae agenda sint, doceri velle, idemque non minus quid sibi dicendum, quam quid celandum sit, audire cupit, quocum si contuleris illud „dicenda, tacenda locutus“, videbis illorum et similitudinem et discrepantiam. Alterum huius artifici exemplum evidentissimum habes El. 1244, *ὅπου φανέντες ἢ κεκρυμμένοι γελῶντας ἐχθροὺς παύσομεν*, tertiumque Trach, 75, *ποῦ δῆτα νῦν ζῶν ἢ θανὼν ἀγγέλλεται*, dic, *quidquid* est, sive vivum dices, sive mortuum, quocum conferas non interrogando quidem sed simillime dictum Phil. 1812, *μετὰ ζώντων τ' ὅτ' ἦν — ἤκου' ἄριστα νῦν δὲ τῶν τεθνηκότων*. — Aliam denique ob caussam huc pertinere intelleges Oed. R. 702, *τὸ μέν τις ἀκμαῖος οὔτε γηρὰς σημάντωρ ἁλιώσει χερὶ πέρσας* [1]), quae cum plane ad vulgarem usum dicta videantur, qua tamen mente

---

1) Ex emend. F. Ritschelii, Ind. schol. mens. aest. MDCCCLXII.

dicta sint, nemo ignorat. — Ultimo vero loco afferendum duximus Ant. 39, *τί δ'ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ λύουσ' ἂν ἢ 'φάπτουσα προςθείμην πλέον,* non propter difficultatem, sed simplicitatem loci, ad tot exemplorum similitudinem compositi, ob quem quantum operae atque olei perdiderunt interpretes![1])

Ne denique, quae collegimus, iis uti non potuisse videamur, tribus verbis expediemus locum, quem minus commentis suis vexare interpretes debebant. Nam quae dicit Oedipus rex, cognominis fabulae v. 10 sq.:

τίνι τρόπῳ καθέστατε,
δείσαντες ἢ στέρξαντες; ὡς θέλοντος ἂν
ἐμοῦ προςαρκεῖν πᾶν,

in iis qualia portenta viderint interpretes, apud ipsos videas, nos nil aliud expressum esse videmus, nisi paratum regis animum, ad *omnia* qualiacunque facienda, neque valde curamus, quo sensu vel *δείσαντες* vel *στέρξαντες* dictum sit, quae satis habemus et ex ipso ***rerum statu*** apte desumta et ad communem legem accommodate dicta esse dicere. Quae quod sensu potius ad „*ὡς θέλοντος ἂν ἐμοῦ προσαρκεῖν πᾶν*, quam ad *τίνι τρόπῳ καθέστατε* pertinere videntur, id si commoto atque a sententia ad sententiam celeriter transeunti regis animo condonaverimus, vel cum Dindorfii pace nos facturos speramus, ceterum rectissime futile interpretum commentum illud „personarum commoto animo confuse loquentium" reicientis. (Ant. v. 3 ed. III.)

2) Verissime de eo iudicavit Hauptius, Ber. der Sächs. Ges. der Wissensch. 1849, I, 172.

V I T A.

Natus sum Monasterii ad Eifliam Cal. Dec. a. MDCCCXXXVIII, patre *Martino*, matre *Elisabetha, Bolkeniorum* gentili, qui quod adhuc in vivis sunt, vitalem meam ipsius vitam duco. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus, adii gymnasium in urbe patria tunc florens, directore *Katzfey*, cuius optimi senis piam me memoriam per totam vitam culturum esse, libenter profiteor. Inde anno vitae septimo decimo cum maturitatis testimonio dimissus, ordini theologorum universitatis Bonnensis adscriptus sum, rectore *Haelschner*. Per tres igitur annos in litteris theologicis ac philosophicis versatus, tantum profeceram, ut examen theologicum feliciter superarem. Sed reverti ad almam matrem placuit, ut totum me dederem philologiae. Itaque iterum civium academicorum ordini adscriptus, rectore *Troschel*, per duos annos illis litteris operam dedi continuam, nisi quod conflictandum erat cum crebris valetudinis incommodis, quibus sane factum est, ut quinti semestris, pulcherrima cum spe inchoati, dimidia pars ingratissimo otio transigenda esset. Sed interrupta studia tanto vehementius dolebamus, quod finem imponendum vitae academicae aetas monebat, cui cum valediceremus huius anni mense Aprili, solatio fuit haec spes, fore ut quae iacta essent liberalium artium semina, eorum fovendorum atque excolendorum per futuram vitam nobis esset facultas ac copia. Prodocentes per hosce quinque annos audiv i

ex ordine theologorum *Dieringer, Floss, Hilgers, Reusch, Roth, Vogelsang*, philosophorum *Heimsoeth*, *Iahn*, *Kampschulte, Loebell, Neuhauser, Schopen, Simrock, Ritschl, Ritter*, quibus viris omnibus, de studiis meis optime meritis, imprimis *Iahnio* et *Ritschelio*, cuius insigni erga me benevolentia factum est, ut per duos annos exercitationibus epigraphicis interessem, gratias ago maximas.

THESES.

I. *Omnia nostri studio facimus.*

II. *Citius emergit veritas ex errore, quam e confusione. (Baco.)*

III. *Falsa est, quam sibi de decemviratu imaginem Niebuhrius finxit.*

IV. *Rhythmici Graeci fragmentum illud, quod κῶλον ἑξάσημον inscriptum est, (Westphal. Fragm. der Griech. Rhythm. p. 73) non ad nostrum numerum senorum octantium, sed ad eum, quem ternorum quadrantium dicimus, referendum est.*

V. *Proslambanomenos non exstitit in systemate maiore ante additum hyperbolaeum.*

VI. *Boni scriptores diversas structuras confudisse putandi non sunt.*

VII. *Aesch. Sept. ad Theb. v. 612 legendum conicio: τὸν ἕβδομον δ' ἐνθένδ' ἐφ' ἑβδόμαις πύλαις, coll. v. 438.*

VIII. *Sophocles mortuus est Ol. XCIII. anno tertio.*
